

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Reinherus Dux Lotharingiae & Barri & Ioanni Reuchlin Phorcensi LL. doctori salutem

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD  
uortium posset celebrari inter te uxoremq; tuam, eius tamen con-  
sensu, quam plurimum nostro nomine saluam esse iubebis. Iterum  
uale. Datum ut supra.

Franciscus. S. Eustachii diaconus Cardinalis Senensis  
Veneran. uiro. D. Ioanni Reuchlin Phorcensi  
LL. doctori. Salutem.

**E**Ximie doctor amice singularissime, accepimus literas uestras  
eruditissimas, ex quibus quamuis cum singulari elegantia, in-  
telleximus tamen curas & sollicitudines uestras, quas ob absen-  
tiam nostram suscepistis. Dolemus certe rem ita se habere, uerum  
cum ita sit, necessitati tpsis uos accommodabitis. Princeps ut ex lite-  
ris D. suæ ad nos uidere potuisti, saepe se celeriter nuncium missurū  
affirmauit. Quare nil nobis imputandum est, quia tempus expecta-  
uimus. Petitis a nobis consilium. At quale in rebus tam arduis & ui-  
ro doctissimo subministrare possumus? Exploratissima est uobis  
mens principis, & quæ nobis scripsit clare uidiistis, in nulla re men-  
tem excellentiæ suæ transgressi sumus, & cum singulari diligentia  
fines mandatorum suorum seruauimus, ita & uobis agendum erit,  
res arduæ sunt, & nos absentes non possumus in hac solitudine diui-  
nare, quæ menti pontificis D. reuerendissimi Alexandrini cetero-  
rumq; insint, D. Bernardinus auditor noster si in aliqua re utilis erit  
uobis assistet, Valete, Ex Balneis sancti Philippi die decimasep-  
tima Iunii, M. D. II.

Reinherus Dux Lotharingæ & Barri &c. Ioanni  
Reuchlin Phorcensi. LL. doctori salutem.

**M**agnifice doctor, uestri gratia & amore plurimum freti mit-  
timus in præsentia ad magnificentiam uestram Physicum  
& consiliarium nostrum M. Ioannem Clauis doctorem, cui  
nonnulla credidimus eidem magnificentiæ nostro nomine refe-  
renda. Eam proinde uehementer rogatam uolumus, uelitis sibi ac  
nobis ipsis si coram esset<sup>9</sup> fidem habere, significareq; si quicquam  
a nobis factum iri uelitis, quandoquidem fructum a principe bono  
expetendum expectare potestis. Valete feliciter. Ex Castincto. xx.  
Iulii. M. CGCC. XCI.

Ioannes Reuchlin Phorcensis, præceptor  
suo Iacobo Iehiel Loans Iudæo.